



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CIMOIANAE*** DISTRACTIS TERRITORIIS
AB ARCHIDIOECESI BEIRENSI

NOVA CONDITUR IN MOZAMBICO DIOECESIS Quod vehementer longum per tempus Mozambicani sacrorum Antistites exoptaverunt, ut scilicet nova circumscriptio dioecesana erigeretur in provincia civili v.d. Manica, nunc tandem, Deo concedente, factum est. Itaque, quo gravius et propius spirituali christianorum utilitati consuleretur, audita favorabili sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Congregationis pro Gentium Evangelizatione praepositorum, atque accepto consilio Venerabilis Fratris Hyacinthi Berloco, Archiepiscopi titulo Fidenatensis atque in Mozambico Delegati Apostolici, summa Nostra potestate sequentia decernimus et iubemus. In provincia ecclesiastica Beirensi nova dioecesis, nomine *Cimoiana*, conditur, complectens provinciam civilem Manicanam, a praesenti archidioecesi Beirensi distrahendam, atque eidem Ecclesiae Metropolitanae Beirensi suffraganea. Novae sic constitutae dioecesis episcopalis cathedra erit in Ecclesia Deo Optimo Maximo dicata in honorem Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae, in urbe vulgo Chimoio. Haec, quae praescripsimus, ad effectum adducat Venerabilis Frater Hyacinthus Berloco, quem diximus, vel ab eo delegatus sacerdos, confectaeque rei instrumenta ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittat, de more signata sigilloque impressa. Apostolicas has Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis nullis rebus obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI

publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXIII (1991), n. 5, p. 382 © Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana
